Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 1175

Quelle:
Copyright:

cipit: *Heret ſenſibus veſtris fratres id quod deſcripſimus beatos confeſſores* &c. Finit: *Vnde uos omnipotens deus emundatos liberet qui uiuit* &c. Non inveni inter Sermones *Maximi.*

Fol. 63. *Alius Sermo.* Incipit: *Cum preclara beati Matbię apoſtoli feſtiuitas per annui curſus reuolutionem ſe repreſentat* &c. Finit: *qui mirabilia in ſanctis ſuis operatur ihęſus chriſtus dominus noſter qui cum patre* &c. Et hujus Sermonis Autorem me ignorare fateor.

Fol. 64. p. 2. *In Annunciatione S. Marie Sermo Ambroſii.* Incipit: *Deſcendens angelus de celo miſſus a patre deo* &c. Inter *Auguſtini* ſuppoſititios T. V. *append. col.* 322. ſed hic capite truncatus, quod ibi incipit: *Adeſt nobis dilectiſſimi optatus dies* &c.

Fol. 65. p. 2. Abhinc jam nullus Sermonibus titulus praefixus eſt. Itaque ſupplendus. *Sermo alter de Annuntiatione.* Incipit: *Caſtiſſimum Marie uirginis uterum. ſponſe clauſum uentris cubiculum* &c. Inter ſpurios *Auguſtini* T. V. *app. col.* 324.

Fol. 67. p. 2. *Dominica in Septuageſima.* Ita inſcribitur in *Alcuini Homiliario cit.* p. 99. et *Johanni Chryſoſtomo* tribuitur titulo: *Quomodo primus homo toti ſit prælatus creaturæ.* Incipit: *Dignitas humane originis facile agnoſcitur* &c.

Fol. 69. *Dominica in Sexageſima.* Ita rurſus in *Homiliario cit.* p. 102. *Sermo beati Johannis Chryſoſtomi de lapſu primi hominis.* Incipit: *Nemo* (eſt) *qui neſciat a principio hominem ſic a deo plaſmatum* &c.

Fol. 70. *Dominica in Quinquageſima.* Pariter in *cit. Homiliario* p. 109. *Sermo beati Johannis Chryſoſtomi de fide Abraham et de immolatione Iſaac.* Incipit: *Fides eſt religionis ſanctiſſime fundamentum* &c.

Fol. 71. p. 2. *Sermo de Quadrageſima*, qui eſt *Leonis* XXXIX. T. I. p. 101. Incipit: *Licet nobis dilectiſſimi appropinquante* &c.

Fol. 72. p. 2. *Sermo* alius *de Quadrageſima*, qui eſt *Leonis* XL. p. 103. Incipit: *Semper quidem nos dilectiſſimi ſapienter et iuſte* &c. Atque in hoc abrumpitur Collectio iſta, cujus nullum fortaſſe Sermonem deſtituiſſemus ἀνώνυμον, ſi perquiſitioni ultra, quam operae pretium fuiſſet, inſiſtere libuiſſet. Illud occaſione Recenſus hujus non ſemel optare ſubiit, ut, cum aliquando *Breviario Rom.* lima adhibebitur, habeatur ratio tot *Homiliarum*, quae ibi Autoribus tribuuntur, a quibus illas ſanioris Critices leges non jam heri abjudicavere.

Octo ultima *Codicis* Folia *Sermones* quidam Sec. XIV. ſcripti occupant, puta in Pſal. *Domine ne in furore tuo arguas me* &c. De Apoſtolis *Philippo* et *Jacobo.* In *Rogationibus.* De *Spiritu* S. et VII. donis. De impedimentis et effectibus *Praedicationis.* In *ramis Palmarum.* In *Paſchate.* In *Caena Domini*, quorum Titulos indicaſſe ſufficiat. Ultimus inſcribitur: